



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Prima Duo Sæcula Complectens

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1758

VD18 13322648

§. 33. S. Petrus a S. Paulo reprehenditur.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66002](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66002)

bant, levamen capiebant. Postquam a-
 liquanto tempore mansissent Antiochiæ,
 fratres eos in pace dimissuri erant ad eos,
 a quibus missi fuerant, sed Silæ remane-
 re præplacuit, & solus Judas rediit Jero-
 solymam. Manserunt etiam Antiochiæ
 Paulus, & Barnabas docentes, & cum
 pluribus aliis Evangelium prædicantes.
 Ipse S. Petrus illuc venit, & commora-
 tus est.

Sæculum I.
 A. C. 42.

§. XXXIII.

S. Petrus reprehensus a Paulo.

Ab initio quidem cum Gentilibus con-
 versari, & manducare non dubitabat;
 sed cum venissent quidam de circum-
 cis a Jacobo missi, timuit Petrus, ne iis
 displiceret, cœpitque a Gentilibus sepa-
 rari. Eodem modo dissimulabant alii Ju-
 dæi, suo exemplo trahentes etiam Bar-
 nabam. Tunc S. Paulus videns, quod
 non tenerent viam rectam juxta verita-
 tem Evangelii, restitit Petro in faciem,
 quia erat reprehensibilis, & coram om-
 nibus dixit: *Si vos, qui estis Judæi, mo-
 re Gentium vivitis, & non Judæorum,
 quare Gentiles cogitis judaizare?* in ipsa
 Doctrina neutiquam discrepabant Petrus,
 & Paulus. Petrus enim in Concilio pau-
 lo ante docuerat, Gentes ad observan-
 tiam legalium non obligari; ex altera

Gal. 2. v. 11.
 13.

Sæculum I.
A. C. 42.

1. Cor. 9. 20.

Aug. ad
Hier. ep. 40.
c. 3. & ep.
82. c. 6.

Cyp. ep. 71.
ad Quint.

Aug. de
Bapt. cont.
Don. l. 2. c. 2.

parte sciebat S. Paulus legalia adhucdum esse permiffa, quod & ipse data occasione faciebat, vivens cum Judæis, sicut Judæus, ne eorum cæremonias videretur dammare, quæ bonæ erant pro tempore, quo Deus illas præceperat; erat ergo Petri culpa, non nisi error in moribus, consistens in nimio Judæis placendi studio, cum non tantum privatim eorum more viveret, sed etiam, ne eos offenderet, a Gentilium conversatione abstinere, quasi illos existimasset immundos; sicque contra decisionem Concilii Gentes judaizare cogeantur si cum Judæis fidelibus communicare velent. S. Petrus nec Primatum obtendit, nec Paulum in Apostolatu juniorem despexit, aut quod persecutus fuisset Ecclesiam; sed accepit consilium, quod veritati erat consentaneum, & libenter rationibus allegatis acquievit.

§. XXXIV.

Iter S. Pauli, cum SS. Luca, Sila, Timotheo.

Act. 15. 36.

Non multo post Paulus ait ad Barnabam: *Revertamur visitare fratres per omnes civitates, ubi prædicavimus, ut sciamus eorum conversationem.* S. Barnabas etiam Joannem Marcum volebat comitem, sed Paulus rogabat, ut relinquerent eum, eo quod in Pamphilia ab ipsis discessis-